Crac. Stud. Univ. Jag.
Promotiones Phil. Ord.
1659 5 men. April.

Frankowicz Andr. Joan. Colossus Apollinis in Parnasso Academico excitatus —

COLOSSVS APOLLINIS,

IN PARNASSO ACADEMICO Excitatus,

VV. DD. XVIII.

PRIMÆ LAVREÆ CANDIDATORVM,

LAVRIGERIS CORYMBIS Exornatus;

IISDEMQVE,

DVM

Primâ in Artibus, & Philosophiâ Laureâ,

PER

Clarissimum, Excellentissimum, ac Doctissimum Dominum,

D. SAMVELEM KOWALEWSKI,

Collegam Minorem.

In frequentissimâ Senatùs Academici Coronâ Coronarentur,

AB

ANDREA IOANNE FRANKOWICZ,

Eiusdem Laureæ Candidato, amoris, & gratulationis ergo

CONSECRATVS.

Anno à Partu Virginis M. DC. LIX. Die 5. Mensis Apr.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Viduæ & Heredum Francisci Cezary, S. R. M. Typogr.

In Stemma
ALMÆ VNIVERSITATIS
CRACOVIENSIS.



Ardua cum noſtri moles perfecta Coloſsi
  Poſceret ornatus, conſpicuumque decus,
Attulit effigies varias ſibi dextera Apellis;
  Effigies omnes reſpuit illa tamen.
Praxitelesque ſuâ ſculptas tulit arte figuras,
  Formas Praxitelis reſpuit illa tamen.
Iuno, Venus, Charites, Pallas, Mars, Cynthia, Læda,
  Numina certabant figere pulchra ſibi:
At columen tumidum contemnens numina cuncta
  Cum proprijs donis reſpuit illa tamen.
Tu ſimul ac tuleras Academica Sceptra IAGELLO,
  Arridens ſubitò læta columna Tibi
Dixerat: omne decus moles mea ferre recuſat,
  Ambit Sceptra modo Diue IAGELLO TVA.

Perillustribus, Admodum Reuerendis,

Clarissimis, & Excellentissimis Dominis,

Jnclytæ, ac Peraugustæ

DOMVS MAIORIS

PATRIBVS AMPLISSIMIS,
DOCTORIBVS, PROFESSORIBVS,
Dominis, Mæcenatibus, Patronis, & Promotoribus meis Fauentissimis.

S. & P.

N*Esciunt Memphiticæ Pyramides,ære rigentes statuæ, regales imagines, ardui, & cælo capita alta ferentes Colossi, nesciunt, inquam intra priuatos contineri parietes,* Patres Amplissimi: *sed suâ giganteâ mole, nubiferis altiores Alpibus, inaccessa cæli feriunt cacumina, Diuis immortalibus consecrata profano calcant cothurno Capitolia, in publicum deniq; conspectûs humani, exanimes licet, artifici gressu conscendunt fastigium. Ita olim Orbis totius Domitoris, Alexandri Macedonis effigies; non in priuato aliquo delitescebat angulo: sed omnium Aduenarum, Herculis in delubro publico exposita spectaculo, à Iulio Cæsare cùm Gades venisset, animaduersa; adeò ingentē in animo suo eiusmodi memoriæ excitauit cupiditatem; vt non prius efferuescens illius sopitum esset incendium, donec modico tempore, gestorum suorum magnitudine; non tantum Alexandri statuam, verùm etiam laudem ipsam, & immortalem illius superaret gloriam. Ita Iouis statua, cubitorum quadraginta, à Lysippo facta, Tarentinis Patritiis, tanto in pretio, & veneratione fuit: vt illam inter primaria, & principalia Vrbis suæ ornamenta connumerare non dubitarent. Ita deniq;* COLOSSVS APOLLINIS, *triginta cubitorum altitudinis, à* Lucullo *tanti æstimatus fuit; vt eiusdem Luculli operâ ex Vrbe Ponti Apolloniâ, Romam deportatus, triumphali populi gestientis comitante plausu, in Capitolium Iouis commigraret. Quod si his idolorum officinis, publica non denegauit theatra Veneranda Antiquitas: quid? num Vestra* Patres Amplissimi, *humanitas? huncce Colossum meum,*

maiorum suorum tritis insistentem vestigiis, & ad eminentissimum, mihi patrocinantis eruditionis vestræ aspirantem Capitolium à suâ repellet clementiâ? Minime gentium. Hoc enim illi innatum esse scio, vt res viles, pariter ac sublimes amplissimo protectionis suæ excipiat patrocinio. Quare permittetis Patres Amplissimi, vt mea moles ista in humanitatis ac eruditionis Vestræ collocetur capitolio, quam ego Laurigeris corymbis exornatam, non adscititiis, aut peregrinis purpurissis; sed domesticis, ac vestris propriis condecorabo ornamentis. Vos enim Patres Amplissimi *vos, in quam, estis labore infracti Atlantes, grauitate Catones, multiplicis doctrinæ varietate Trismegisti; Vos ingenio Platones, disputandi subtilitate, Stagyritæ, Sacrarum literarum interpretatione Augustini, Fidei mysteriorū explicatione Aquinates, facundiâ sacrâ Chrysologi, Syderum Cælestium notitiâ Ptolomæi, Lyrâ vates Venusini, Eloquentiæ suauitate Tulii, Sapientiæ Diuinitate stupenda quædam oracula estis. Vos bonorum ingeniorum fautores, orphanæ virtutis Promotores, Pietate Patres, candore Cygni, humanitate Soles, consilio, & operâ nemini ad honestam viuendi rationem tendenti, deesse soletis. Vestris ego Patroni Fauentissimi, Mæcenates Amplissimi, vestris, inquam, beneficijs, iam propè sexennio sustentor: sub vestrâ furente Suetici Martis furore, securus quieui, & immunis ab omni periculo delitui protectione: à Vobis doctrinam, & hanc ipsam Laurum me accepisse confiteor, & in æternùm confiteri non desistam. Tantis itaq; Vestris, tamq; infinitis, ac innumeris deuinctus beneficiis, vt aliquod gratitudinis offeram Mnemosynon, & officiosam animi declarem promptitudinem, hunc immortali Vestræ, ac æternùm victuræ gloriæ,* APOLLINIS, *in honoris vestri meditullio collocatum, consecro* COLOSSVM *Suscipite itaq; illum,* Patres Amplissimi, *& in quo mea tenuitas sufficere non potuit, Vestra suppleat amplitudo.*

Perillustrium, Admodum Reuerendarum, Clarissimarum, & Excellentissimarum, D D. V V.
Cliens æternùm deuotissimus.

Andreas, Ioannes, FRANKOWICZ,
Primæ Laureæ Candidatus.

Clarissimis, & Excellentissimis Dominis,

D. EXAMINATORIBVS,

GRATITVDO LYRICA.

Ode Tricolos Tetrastrophos.

ÆTerna grati symbola pectoris,
Vobis togatæ militiæ Duces
Exsoluo vates, æuiterni
Grande locans columen Colossi,
Quod non Lysippi composuit manus,
Nec excitauit Praxitelis labor,
Labor caducus: sed perenni,
Quod peperit studium Mineruæ,
Æternitati; Censor & ingenî
Apollo nostri Vester, amabili
Manans fauore totus, atque
Ambrosijs liquidus fluentis,
O eruditæ numina Palladis!
O CRACIACI sydera Climatis!
Sublime TŁVSZCZEWSKI cacumen
Stagyrei columenque circi.
At quo diserti carminis alite,
TE literati delicium poli
Camæna deferet STRYIEVICZ?
Per titulos memoresque fastos,

Promiſſe ſæclis, ibis, & arduas
Premes cathedras, ſub pedibus Sophûm
Stoas relicturus profanas,
Empyrei Neomyſta Pindi
Breuiq́ue fies: iam Tibi Cracij
Ordo Senatûs annuit, & Sacras
Iàm FLORIANVS dat curules:
Iàmque TIbi decora alta confert,
Interque myſtas TE numerat ſuos;
Quanquam trecentis diues honoribus
Et nunc abundes gloriosâ
Sarmatico ſuper orbe famâ.
Nam quæ Polonis Orat rionibus
Subiecta, Magni eſt inſcia nominis
Tui Matheſeos Berylle:
Te Iuuenes, paritèr Seneſq́ue,
TE fata nôrunt; tempora nutibus
TVISQVE parent: ſydera TE ſuum
Phœbum fatentur; docta vero
Vranies breue per nepotes
Extendit æuum Maxime Vir Tibi:
Fallorne num me ludit amabilis
Imago Olympi? cerno Viuam
Archimedis ſpeciem Poloni,
Immenſa moles incubuit poli
Cuius lacertis, cerno CZECHOVIVM
Pondus ferentem, noſco robur
Herculeum venerandi Atlantis,

Qui

Qui mente quidquid continet ambitus
Terræ; vel Orbis quidquid Olympicus,
Seruatque Neptunus ſub vndis,
Ætherei vel inane tractûs,
Id omne claudens ambit, & occupat:
Aſtræa cui tot pectora Principum,
Faſceſque plures mancipauit,
Sarmatici Proceresque Sceptri.
Sed quo repulſæ neſcia ſordidæ
Cum mole grandi Muſa ruis TVA?
Iam, iam coloſſus eminendo
Aſtrigeros penetrauit axes,
Et celſa ſummo ſydera vertice:
Ergo ſuperbi linquet inutiles
Curas Coloſsi, Gratiarum
Dona ferens veneranda VOBIS.
O clara Pindi lumina Cracij!
Humanitatis Symbola candidæ,
Noſtriq; profectûs Catones,
Sed nimiâ pietate Patres,
Fulgete centum lampadibus ſuper
Auguſta cæli Climata Cracij:
Vos fata nôrint: Vos nec atrox
Mortifero Libitina ferro
Hucuſque tangat: donec honoribus
Veſtris ſacratus ſurgat, & æthera,
Cælique ſtellatum cacumen
Sydereus feriat COLOSSVS.

Ad Clarissimum, & Doctissimum Dominum,

PROMOTOREM,

D. SAMVELEM KOWALEWSKI,

Collegam Minorem.

F*Acunda Siren Cracidis, Stagyritæ,*
Profunde Mysta, Subtilis,
Apollo cûi, lyram dedit suauissimam,
Melosq; dulce pectinis:
Cúi Tulliana militat facundia,
Cûi Attici pluunt faui;
Ab ore cuius & fluunt dulcissimo
Suadæ lepores aurei.
Hi literatas SPERONOVI *adoreas,*
ŁOPACIIQVE *laureas,*
Sunt prosequuti carminis dulci lyrâ;
Et Æsculapios nouos
Duxêre spectandos graui Senatui,
Aulæ IAGELLONIS *Sacræ.*
Quid si Tuæ ditissimum mentis penu
Semper recentis concinam?
Promptiq; dotes pectoris prænobiles?
His Te esse natum judico
Aptum Cathedris eruditis, Craciæ
Et Palladis, laboribus.
Quos cùm togatorum Parens pijssima,
Regniq; Communis Schola
Notaret, en Te condidit propaginis
Suæ Parentem Nobilem.
Ergo Tui nos filij, proles Tua,
Fæcunde laureæ Parens
KOWALEVI, *dum Gratiarum pendimus*
Tibi tributa debita,
Insculpimus laudes Tuas, nomen Tuum
Summo Colossi Vertici.

V. D. FRANCISCO ALEXANDRO BEŁZA.

VRbs tibi prælustres natales Cracia sorte,
BEŁZA dedit, Magnis sanguine Teque Viris,
Coniunxit natura Parens, strictâque catenâ,
Vnde tot insignes eminuêre Viri,
QuiConsi Cracij sustentauêre curules,
Ecclesiæ fasces, & tenuêre sacros.
Sed cùm nobilitas generis spoliata nitore
Ingenij, modicum fert decus, atque iubar:
Vt Tua naturæ, mens augeat alta fauores,
Artibus incubuit sedulò Palladijs
De quibus ingentem tollit cum fænore fructum,
Quando pro meritis laurea serta refert.
Et quia BEŁZA Tuis donatur laurea Musis,
Quam Tua facundis Suada diserta sonis,
Fascibus antetulit cunctis, decorique profano,
Ergo Tibi primus iure colossus erit,
Vertice sydereo cuius suspensa corona,
Exsuperet Themidis culmen, & omne decus.

II. V. & R. D. STEPHANO WILKOSZEWIC.

Sacri Ordinis Canonicorvm Regvlarivm, Cvstodvm SS. Sepulchri D. Hierosol. Conuentus Miechouiensis Professo.

Diua Magnorum genitrix Virorum,
Clara formoso MIECHOVIIA *claustro,*
Vnde tot seclis fuerunt togata
Agmina nata.
Te tot excelsæ pia corda plebis,
Se Tuum nostræ quoq; WILKOSZEWIC
Laureæ fidus comes esse semper
Credit alumnum

 Quem

Quem Tuus sacras fauor ad phalangas,
Traxit effuso pietatis imbre,
Gemma doctorum radians Virorum
Magne ŁASICKI,

Cui modo fasces MIECHOVIIA *sacras*
Contulit; nec non NVCERINE *summi*
Stagyra celsum caput, & togati
Gloria cœtûs.

Et licet sancto radians tropheo
Signa diuinæ crucis alma pridem
Ordo donauit Tibi pro perenni
Stemmate Sanctus,

Aureum Suadæ decus eloquentis,
Ingenî pollens acie sagacis,
Qui Tagos fundis, simul & diserto
Nectar ab Ore:

Te tamen nostræ rapient Camænæ,
Atque portabunt super alta Pindi,
Vnde laus crescet Tibi WILKOSEVI, *&*
Fama perennis.

Quidquid abstrusi Stagyrita doctus
Mente concepit nimium capaci;
Quidquid augusto Ciceronis ore
Suada tonauit:

Id Tui totum superauit ingens
Iudicî robur nimium sagacis
Vnde frondenti meritò Corymbo
Cingeris ipse,

Et Tuus tecum redimitur ille
Candor, & mentis roseus pudicæ,
Flos, & interpres Tua virginalis
Vita, nitoris.

Delphi-

Delphicas felix igitur coronas,
Iam Tibi pridem cape destinatas,
Donec attingas dein altioris
Culmen honoris.

III. V. D. GABRIELI CASIMIRO WĘGRZYNOWIC.

NAtura cunas Cracigenum Tibi,
Fuditque largâ diuitias manu;
SRENIAVA LVBOMIRIANVS,
Magnificis liquidus fluentis,
Mores poliuit WĘGRZYNOVI Tuos;
Iunxitque Magno TESŁOVIKOVIO
Sanguis MARIANI regenti,
Craciaci Sacra templa circi.
Te Pitho felix Eloquij Parens,
Abunda dulci melle Demosthenis,
Dulcore facundo rigauit,
Cecropiâ madidum Mineruâ,
Hinc Te Galeni pulpita Cracij
Inter togatos audierant choros,
Suadâ tonantem Tullianâ,
Atque Tuæ mera mella linguæ,
Exuberanti deflua tramite,
Per Craciacæ Palladis atria,
Laus pulchra spargebat, meroſque
Ambrosiæ latices, Hyblæque
Fauos sùáues, quos vbi senserat
Minerua Craci protinus in Tuos

 Exarsit

Exarſit ignes: namque melle
Eloquij recreata dulcis,
Vt grata libet pocula ſæpius,
Te laureatis illico frondibus
Pulchrè coronatum, Camænis
Herculeâ ſociat Catenâ.
Ergo togatas ſumito laureas,
Et literatæ plebis adoreas,
Felix capeſſas, atque velox
Perge bonis auibus precamur.
Quò clara Magni Te SŁOVIKOVII,
Fratriſque ducit ſemita Maximi,
Conclaue donec IVRIS, atque
Ad Themidis penetres cacumen.

IV. V. D. ADAMO NEREWICZ.

Non ſic Veſuuium torquent incendia mille,
Ætnaq́ ſulphureo non ita ab igne flagrat;
Ipſeque Vulcanus tanto non vritur æſtu
Vt meus ardebat plaudere Apollo Tibi!
O decus! ô noſtri gratiſſima portio amoris!
Pars animi NEREVI *dimidiata mei.*
Forſitan ingentes Cytharæ miraris amores:
Deſine: nam quod te ſic mea Pallas amat,
Cogitur innumeris cauſis, ſtimulisq́ trecentis,
Ingenisq́ Tui dotibus eximij.
Hæ Tibi Craciacas laurus meruêre NEREVICZ
Hæq́ triumphârunt corda togata Tibi.
Nec mirum: quis enim doctorum limina longo
Tempore docta terens exſtitit ipſe rudis?

Triui-

Triuisti Magni sublimia tecta KVCHARSKI,
Quem lauru cinxit Theologia sacra,
Quemq; togatorum stupet Orbis, cuius in Orbe,
Gloria Sarmatico, vt Phœbus in æthre micat;
Spiritus hinc MAGNI, *& doctißima Suada,* KVCHARSKI,
Transiit in mentem dulcis ADAME *Tuam.*

V. V. D. ALBERTO MIECKI.

SIt Tibi quod Pallas multum laudabilis, atque
Ingenium facile
MIECKI, materies nostris gratissima plectris,
Deliciumque meum,
Cracia testatur Themis hoc, & Iustinianus,
Atque Craci Proceres,
Qui Tibi, quique Tuis carissima pignora Musis,
Atque dedère Tuis
Formandam sobolem Cultissime Nestor Athenis,
Quam Tua Musa grauis
Artibus Aonijs, & moribus imbuit, atque
Dexteritate graui.
Nunc cùm laurigerâ cingit tua tempora fronde
Mater Academia,
Quid? nisi doctrinæ testamina publica prodit,
Signaque clara Tuæ?
Non etenim conferre solet sua serta Coræbis;
Donat at illa Viris
Post curas multas, post tædia mille laborum
Excubiasque graues

Ante coruſcantes diuinæ Palladis arces,
Milleque poſt ſtudia, &
Ardua Stagyrei poſt tot certamina belli,
His emitur decus hoc.
Quæ quia confecit Tua virtus Marte ſecundo,
Hinc Tibi iure datur
Laurea, temporibuſque Tuis ornamina docta,
Quæ mea culminibus,
Appendit Pallas, duraturoque coloſſo
Tempore perpetuo,
Vt Tua per titulos memores, & gloria faſtos
Floreat incolumis.

VI. V. D. IOANNI PORCZYNSKI.

NVnquam ſydereis pulchrior ignibus
Auro ſplendidior, Sole ſerenior
Pallas Diua Potens, ac Sapientiæ
Princeps inclyta ſplendidæ,
Seram caniciem contrahit, aût rugas;
Seu annoſa ſenis ſæcula Pylij,
Millenos Cumeæ ſiue dies deæ
Centenis ſuperet modis:
Sed quanto ſpatium longius eſt ſui
Æui: tantò magis pulchrior eminet,
Cuius forma procos mille venuſtior
Vrens pellicit, & rapit
Hæc Te TASZYCII *pignoris Arbitrum,*
Ad primas rapuit Pallas adoreas
Ætatis medio curriculo Tuæ,
PORCZYNSKI *decus inclytum,*

Et nostra celebris gloria laurea;
Hinc vt perpetuo tempore floreat,
In nostrisque vigens pectoribus diu
Sit laurus Tuâ Delphica,
Illam Sydereo colloco vertice,
Et Te laurigeris PORCZYNI *honoribus*
Ornatum, veneror carminibus meis,
Lætis milleque plausibus.

VII. V. D. FLORIANO ZDZARZYNSKI.

JNgenium ſublime Tibi natura beata
Indidit, & memoris diuitias animæ:
Auribus hinc quidquid captas, id corde recondis
Ac audita ſemel dicta iterare potes:
Sed quia Diua poli virtus, eſt carior auro,
Et cunctis potior dotibus ingenii,
Cum quâ, ſi deſint, ſunt omnia, cunctaque deſunt,
Hâc ſine ſi fuerint omnia præſto cui:
Hæc idcirco Tibi ZDZARZYNI ſola probatur,
Hanc præferſque Tui viribus ingenij
Quid? num nota mei Tibi (dices) viſcera cordis;
Illico quæſitis dicta refundo Tuis.
Mens pia, mens humilis, mens, & pietatis amatrix,
Candida mens nimium, menſque modeſta Tua,
Vitaque iuſtitiæ ſpeculum, probitatis imago,
Virtutis mihi ſunt ſymbola clara tuæ.
Et quia dat nomen Tibi flos: hinc vltro coronat
Laurus, virtutes, florida, fronde Tuas

VIII.

VIII. V. D IOANNI STANCZEWICZ.

Musarum decus inclytum
STANCZEWICZ, cytharæ delicium meæ,
Quæ gratis mea cæteris,
Hæc testudo tibi debitò carmina
Pendit, namque fides Tua,
Et candor niuibus purior omnibus,
Crystalloque simillimum
Pectus, mille tibi fundere iubila
Musas cogit & in Tuum
Omnes ire decus Candide olor meas,
Ergo promptus amor meus,
Parens imperiis obsequio Tuis,
Fundit laudis adoreas,
Deuotâque melos ecce chely tibi,
Frontem frondeque Delphicâ
Ornatam, lepidis plausibus excipit.
Et quamuis tibi millies
Obstrictus maneam tendere barbiton:
Cunctis me stimulis tamen
Suadæ melliflua dulcisonus latex
Vrgens acrius incitat,
Dotes atque Tui nobilis ingenî,
Cogunt, & Sapientiæ
Implantata Tuo dogmata pectori,
Soluendis & in abditis
Arcanis facilis pondera iudicî.

IX. V. D. STANISLAO CZECHOWICZ.

QVâ Te voce canam? quo Te dignabor honore?
Laudibus est impar nostra Thalia Tuis

O cla-

O clarum Stagyræ iubar, & præluſtre CZECHOVI,
Laurigeri decus, & gloria celſa chori.
Tu mihi delicium ſummum, & iucunda voluptas,
Tuque meum fueras pectus, & omnis amor,
Horrida Vandalici ſtreperent dum fulmina Martis,
Obſidione Cracum dum premeretque Suecus,
Communiſque mali fueras commune leuamen,
Theſeus ac alter, Pirithouſque mihi.
Quid ſi docta Tuæ referam certamina Suadæ,
Iurgia Stagyrei, doctaque bella fori?
Hæc Te ad laurigeros apices duxêre ſecundis
Paſsibus: hæcque Tibi ſerta dedêre noua.
Nec mirum: quis enim merito ſpoliaret honore
Illum, quem virtus ditat, & ingenium?
Ditauit virtus Tua Te, & doctrina CZECHOWIC,
Diuitias grandes noſcere viſne Tuas?
Cor Stagyrita Tibi, Cicero Suadæque medullam,
Contulit ingenium MAKOVIVSQVE ſuum,
Pontificum communis amor, cætûſque togati
Gloria, Vauelei Chryſologuſque Chori,
Muſarum vertex, Phœbi ſublime cacumen,
Ingens MAKOVIVS lauſque, decuſq; Sophûm.

X. V. D. PAVLO KOTECKI.

EHeu! quid ſequimur moleſtiores
Curas? quid rigidos feri labores
Martis? quidue diutius moramur
Armorum ſtrepitus, & inter æſtus

Bellonæ rabidæ periculosos?
Cum sit nulla salus, nec vlla merces
Tantorum nisi dira nex laborum,
Et stipendia sint perennis Orcus,
Execrabilis ac odor Mephitis.
Ergo linquito Castra, linque Martis
Curas ocyùs, ac honestiores
Doctæ reppete Palladis palæstras
En lauru Tibi floridas Coronas
Nectit, temporibus Tuis dicanda
Musarum decus elegantiorum,
KOTECKI, *Eloquij medulla Sacri,*
Qui Ieiunia perferenda promptè
Sacratis Cinerum diebus hisce
Facundo satis ore nos monebas:
Ergo omnes obedimus, atque nostras
Carnes esurie, Sacrâ domamus;
Tu nostris etiam vicem Camænis
Reddas pro vice; tolle Laureatas
Doctæ Palladis ocyùs coronas,
Et Soles peragas diu serenos,
Inter Craciacæ Sophos Mineruæ,
Inter Laurigeri togas Senatûs.

XI. V. D. LAVRENTIO ZAPORSKI.

NOn deaurato radians metallo,
Non Hydaspeis saturata gemmis,
Nos domus ditat, properansue flauâ
Hermus arenâ:
Non celer motus genij sagacis;
Non loquax pulchri Ciceronis aurum,
Non Periclei tonitru disertum
Nos beat oris:

Vna mortales animos beatos
Reddit, & Cræsis opulentiores,
Et Pericleæ pietas triumphans
Fulmina Suadæ.
Hanc Tibi firmâ sociat catenâ
Ille, quem nobis Tua Suada nuper
Prodidit summus superûm Quiritum
Feruor, amorq;
Facta Diuini veneranda Patris
CANTII, dulci celebrans lepore,
Inter augustas Procerûm togatæ
Palladis aures.
Fallor? an nostris viridans ocellis
Sistitur laurus, Tibi destinata?
Quam Tuæ fronti Pater ipse Diuus
CANTIVS offert.
Cælitus laurus igitur dicatas
Præpeti tollat Tua Musa dextrâ,
Splendidum linguæ iubar Eloquentis
Care ZAPORSKI.

XII. V. D. BASILIO OLSZYNSKI.

FElix, cûi animum perpetuo blanda modestia
Fœdere iungit;
Non illum cholera Vesuuius flammiuomâ fac
Appetit vrens;
Non pectusq; suum bile tumet; non trucibus vomit
Vultibus iras:

Non

Non nouit Nemesin; non Hecates scit furias graues
Eumenidumq;:
Sed totus liquidus nectareis fluminibus madet,
Nil nisi dulcem.
Spirans Ambrosiam, & Nestoreos ore pluens fauos,
Pignora apumq;.
OLSZYNSKI *Bonitas Te mera,. Te blanda modestia,*
Atque coronat
Te candor niueus, Te pietas. Te sibi vendicat
Totaq; virtus:
Hinc cunctis facilis, candidus & dulcis es, & bonus,
Ore modesto
Cunctorumq; soles propitios, pro libitu Tuo
Flectere amores.
Hæc virtus Cracias nonne Tibi donat adoreas,
Sertaq; Phœbi
OLSZYNSKI *& meritas nonne modo dat Tibi Laureas*
Et decus altum,
Dum Te Docta Craci Stoa suis ornat honoribus
Fulmina fati
Vt lauru superes Palladiâ cinctus, & impetus,
Sortis iniquæ.
Ergo promeritum tolle decus, tolleq; lauream
Hancce coronam.

XIV. V. D. MARTINO FRIDRICHOWICZ.

CVm Tua nunc honores
Musa frondentes, Cracij & laurigeros corymbos,
Accipiat Lycei,
Quos Tutus pridem meruit FRIDRICHOVI pro-
Cætibus eruditis, (batus
(Arduis in tot stadijs, Stagyreiq; Circi
Litibus, & duellis,) Impro-

Improbus, ſolerſq; labor, viuida viſq; mentis,
Flumina totq; Suadæ
Atticæ, dulceſq; faui nectareæ loquelæ.
Ergo Tibi propinat,
Nunc meus Phæbus latices mille, Tibiq; Achates,
Ex animo precatur
Ambias MARTINE decus laurigeræ coronæ,
Auſpiciumq; fauſtum
Sit Tibi deînceps apicum FRIDRICHOWI altiorum,
Siue Deæ togatæ;
Siue quos PETRI tribuit ſydereum cacumen,
Pontificumq; mitræ,
Inſtar vt ſolis niteas Eccleſiæ, & Lycéo,
Sarmaticæq; plebi:

XV. V. D. MARTINO GRABIECKI.

SVnt & Tuarum Laurigeræ mihi
Laudum Coronæ? Prome reconditum
O Muſa ſertum! quem ſonorâ
Pieridum reſonemus arte?
Hic eſt GRABIECKI, *cui modo Cracius*
Pindus Sophorum imponit adoreas,
Cunctoſq; præcellens honores
Grande chori decus eruditi
Doctrina confert: ſe ſpecioſiùs
Plerumq; doctæ Palladis artibus
Indulget, & Muſis amicam
Gaudet honos redimire fontem:
Arcto ligari fœdere geſtiunt
Libris corymbi, quos vigil ambitus
Venatur, & centum labores,
Peruigiles totidemq; Lunæ

Impendiosæ dote scientiæ,
Et litterati mercibus otij,
Torrente sudorisq; largo,
Et gelidâ Boreæ rigentis,
Emit tyronum turba, Tyrannide,
Hanc Tu GRABIECKI pectore strenuo
Felix triumphâsti, namq; TE,
Nec rabido Canis ore flammas
Vomens flagrantes, sæua nec horridæ
Tortura brumæ, propositis Tuis
Dimouit: ast omnes ferebas
Æthereas animosus iras.
Hinc laureatis cinctus honoribus
Potirê felix non sine plausibus,
Donec bicornis laude celsâ
Attigeris capita alta Pindi.

XVII. V. D. IOANNI WAWERKOWSKI.

NOn nos purpureæ togæ,
Non excelsa nimis Stemmata Principum
Extollant, apicum neque,
Aut elata breuis culmina gloriæ,
Queîs millena pericula,
Millenasq; struunt inuidiæ neces:
Sed nos laurea Palladis
Oblectet potiùs, doctaq; pulpita,
Quæ curis grauibus solent
Demi, & perpetuum parturiunt decus,
Quod non imber edax neque
Tempestas Boreæ turbida subruit.
Non laurum quatiunt graues
Ictus, nec rabidi fulminis impetus
Vir doctus superat necem.
Dignum laude Virum Musa vetat mori.

Hæc

Hæc TE fida WAVERKOVI
Firmis excubijs tempore muniet
Omni, subijciens Tuæ
Famæ dira feræ, iura, Proserpinæ:
Hæc TE laudis in essedo
Fulgentem viridis frondis honoribus
Tollent, ibis in æthera, &
Sublimi feries sydera vertice.

XVIII. V. D. IOANNI CHROBERSKI.

EXoptata mihi, votisq; cupita trecentis,
Iam suprema meum linea claudit opus,
Consequiturq; meus iam fines ecce Colossus,
Cui Tua dat summum laurea docta decus
Flos Charitum, Phæbiq; decus sublime CHROBERSKI:
Hinc dubium Musis nascitur inde meis;
An suprema Tuis, dedit? an sors infima Musis
Cætibus in nostris obtinuisse loca?
Nam mea Phæbigenum dum lustrat Musa phalanges:
Vltimus appares dulcis amice mihi;
Si verò ante oculos statuit perfecta Colossi
Culmina, Sydereo primus in axe micas.
Primus es in nostri perfectâ mole Colossi;
Nam Tua fama meum fine coronat opus:
Infimus at nostri, numeraris in ordine cætûs;
Nam Tibi post omnes vltima palma datur.
Ergo laurigeras felix prensato curules,
Moleq; sis opto longior ipse meâ.

STEPHA-

STEPHANVS WILKOSZEWIC Canonici Ordinis Conuentûs Miechouienſis Profeſſus, Gratitudinis ergo offert.

V. D. ANDREÆ FRANKOWIC.

ACcede vates; & tua Carmina
Dilecta Phæbo, carmina dulcia
Dilecta Muſis, in perenni
Conſtituas Heliconis orâ.
Te BIEZANOWSKI (Charus Apollini,
Mellita Celſæ ſuada Leopolis)
Sinu refouit, & Beatam
Indidit eloquij Medullam:
Stylo perenni dictio prouenit,
Felice venâ carmina profluunt,
In LVBLINENSEM te loquente,
Grande decus Patriam recurrit.
Vides, Apollo quam tibi porrigit
Vides Coronam, quam merito tibi
Lauro Virenti complicatam
Turba dat Aonidum ſororum:
Te Laureatus Pieridum chorus,
Et Phæbus alto Vertice te vocat,
Accede Muſas te vocantes
Accelera meliore paſsu
Aſcende ſacro flumine diuitem
Aſcende Cliuum, qui duplici iugo
Cælo minatur, iam capeſse
Ingenij meritos honores.

XVI. V. & R. D. SEBASTIANO REMANOWSKI.

Quis furor? aut quæ te tandem fiducia cèpit,
Audax Musa nimis, credula Musa nimis?
Quæ Tibi, quæq; Tuis pondus tam grande lacertis,
Imponisq; decus grande REMANOVII?
Tunè Sophum tantum imbelli celebrare Camænâ
Audebis? doctus quem Stagyrita stupet,
Cuius & Ambrosias facundo Tullius ore
Fundit, cui Cytharâ cedit Apollo suâ
Quem linguâ Bohemus, Theuto, Gallusq; loquentem
Audit, & eloquij verba diserta sui
Tune inquam tantum resonabis carmine vatem,
Quem Themis, & Cracius quem Peripatus amat,
Viuida mens cuius motus imitata Polorum,
Extera lustrauit tot loca, totq; scholas,
Atque lares adijt, peregrini & culmina Phæbi:
Vnde tulit varij dogmatis ambrosiam.
Heu mea debilibus ne fidas Musa lacertis
Pondera tanta, decus linque REMANOVII,
Sat tibi sit vatis laurus celebrare virentes,
Hoc ferat immenso robore primus Atlas?
Ergo meis penitus Musis, dilecte tacendum?
Ergo REMANOVII *fama silenda mihi?*
Aut mea Caucaseis scopulis obducta rigerent
Plectra, vel elinguis crederer esse lapis,
Nî Tibi saltem vnum verbum mea Musa propinet;
Dic precor Aonij portio grata chori,

Quæ Dea Craciacas Te nunc pellexit Athenas?
Hoc ni fallor ego mente silente refers.
Vt natale solum terris dulcedine cunctis
Anteit, immemorem nec sinit esse sui;
Sic quoque natales, exotica pulpita, Stoæ
Vincunt, ac animos ad sua tecta trahunt:
Me quoque Sarmatici Pallas Regina trionis,
Ad IAGELLONIÆ *culta vireta Deæ*
Traxit Apollineâ lauru, pulchrisq; corymbis,
Quos quia REMANOVI *nunc Tua Musa capit,*
Mille Tibi canto plausus, & carmina mille,
Ipseq; lætitijs æstuo mille Tuis.

ADAMVS NEREWICZ,
Primæ Laureæ Candidatus, gratitudinis ergo
OFFERT
V. D. ANDREÆ FRANKOWICZ.

CAra sublimis soboles Camenæ
BIEZANOVI quas famulante pennâ,
Exeram laudes Tibi? quæ labori
Dona refundam?
Obruas nostri potiore buxo
Plectra concentûs licet, & minores
Obruas gemmas opulentioris
Luce metalli.
Attamen stellæ radios minores
Fac Tuas inter rutilare flammas:
Fac Tuum ducti memorem triumphi
Stare Colossum.

Hocce cum multis mea vota votis
Pono, quæ sunto Tibi pronus omne
Pindus inclinet solium, & labores
Flora coronet.
Thracius Syluis Tibi cedat Orpheûs,
Mella distillet fauus ipse BIEZA-
NOVIVS Ductor scopulorum acutis
Pectinis hæres.
Fama longæuum referat per Orbem,
Carminum præses Cytharæ Magister
Vt Tibi surgant Lechici quotannis
Phœbe Marones.

AD ZOILVM.

Cento, canis, porcus, quamuis dicaris & Orcus,
Faucibus igniuomis milleq; monstra vomas:
Non tamen exhorret noster tua tela Colossus,
Nonq; timet rabiem machina nostra tuam:
Rodere tentâris quam si tu dente maligno,
Illius occasus mors Tua Zoile erit.

Sub Feliciſsimis Auſpicijs,

Magnifici, & Excellentiſsimi Viri, Domini

D. M. FRANCISCI ROLINSKI,

Philoſophiæ, & Medicinæ Doctoris, & Profeſsoris, ac eiuſdem ampliſsimæ Facultatis Decani Conſulis Cracouienſis, & Generalis Studij Almæ Vniuerſitatis Cracouienſis,

RECTORIS

Vigilantiſsimi.